



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. LVIII. De S. Sebbi rege Anglorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

nu eius omnes fines terræ & vbi cumq; fideles sepulti sint,  
in manu Dei sunt ossa eorū: peculiari tamē ipsum membra  
sui corporis prosequi cura ac prouidentia, monereque pro-  
inde mortales eoldē pio cultu venerari debere sacros cine-  
res, quorum locū desuper tanto fulgore ipsa diuinitas dig-  
nata est illustrare, inquit Baron. anno 681.

## C A P. LVIII.

*De S. Sebbi rege Anglorum.*

**D**E his verò dum agimus, nequaquam nobis præter-  
eundus est, sed hisce fastis inserēdus felix transitus  
B. Sebbi orientalium Saxonum regis piissimi, quem  
Sanctarū Virginum funeri idem Beda subiicit, dicens : Eo  
tempore præerat regno orientalium Saxonū vir multū  
Deo deuotus nomine Sebbi. erat enim religiosis aetibus,  
crebris precibus, pijs eleemosynarū fructibus plurimū in-  
tentus, vitā priuatā & monachicam cunctis diuitijs & ho-  
noribus præferens, quam & olim iam, si non obstinatus  
coniugis animus diuortiū negaret, subiisset. vnde & multis  
visum quia talis animi virū, Episcopum magis quam regem  
ordinari deceret. cumq; annos triginta in regno miles re-  
gni cælestis exegisset, correptus corporis infirmitate per-  
maxima, qua & mortuus est, admonuit cōiugem ut vel tunc  
diuino se seruitio pariter mancipient cū amplius pariter  
muadū amplecti vel potius mundo seruire non possent;  
quod dum ægrè impetraret ab ea, per benedictionem Vald-  
here Episcopi Londoniæ habitū religionis accepit, attu-  
litque eidem & lumenā pecunia non parvam pauperibus  
erogandā, nil omnimodis sibi referuans, sed pauper spiritu  
magis propter regnū cælorū manere desiderans. qui cū  
ingrauescente præfata ægritudine diem sibi mortis immi-  
nere sensisset, timere cœpit homo animi regalis ne ad mor-  
tem veniens tanto adfectus dolore aliquid indignum suæ  
personæ,

Bed. I. 1. c. 3.  
& I. 4. c. 15.

personæ, vel ore proferret, vel aliorū motu gereret membrorum. vnde noluit vt plures eo moriente quām præfatus Londoniæ Episcopus & duo sui ministri adessent. non multò pōst cūm membra sopori dedisset consolatoriam vidi visionem quæ omnem anxietatem memoratę sollicitudinis auferret & diem mortis ostenderet. vidi enim tres ad hē venisse viros claro habitu indutos; quorum unus resi-  
dens ante lectum eius,stantibus his qui secum aduenierant comitibus, & interrogantibus de statu eius quem languē-  
tem visitare venerant, dixit quōd anima eius & sine ullo dolore & cum magno lucis splendore esset egressura de corpore, sed & tertium exinde diem quo esset moriturus insinuauit. quæ vt dicta erant, sic euenerunt. Corpus cum Sarcophago lapideo præparato imponere vellent, inuenie-  
runt illud mensura palmi longius esse Sarcophago: dolan-  
tes ergo lapidem in quantum valebant, addiderunt longitudini Sarcophagi quasi duorum mensuram digitorum. Sed nec sic quidem corpus capiebat. vnde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut alium quærere loculum, aut ipsum corpus si possent in genibus inflectendo breuiare donec ipso loculo caperetur. Sed mira res, nec nisi cæli-  
tus facta, ne aliquid horū fieri deberet prohibuit. nam subi-  
tō astante Episcopo & filio regis eiusdem, ac monacho Si-  
ghardo, & turba hominum non modica inuentum est Sar-  
cophagum illud congruæ longitudinis ad mensuram cor-  
poris, adeò vt à parte capitis etiam cervical posset inter-  
poni: à parte verò pedum mensura 4. digitorum in Sarcophago corpus excederet. Festum eius colitur 29. Augusti.  
Porro omnes hos nominatos ista peste defunctos, inquit Bar. in SS. catalogū religiosè calculo accedēte diuino re-  
ceptos annis singulis singulisq; diebus quib. ex hac vita mi-  
gratū, Ecclesia Dei, pia memoria repræsentat. Sed iam de  
Anglis satis pergo ad Domesticos fidei, & Brabantum vnu  
subijcio.

*Climate qui celi nobiscum natus eodem est.*

C A P.